




FAMILIA ROMANA

- 1 Iūlius vir Rōmānus est. Aemilia fēmina Rōmāna est.
Mārcus est puer Rōmānus. Quīntus quoque puer Rō-
mānus est. Iūlia est puella Rōmāna.

Mārcus et Quīntus nōn virī, sed puerī sunt. Virī sunt

- 5 Iūlius et Mēdus et Dāvus. Aemilia et Dēlia et Syra sunt
fēminae. Estne fēmina Iūlia? Nōn fēmina, sed parva
puella est Iūlia.

- Iūlius, Aemilia, Mārcus, Quīntus, Iūlia, Syra, Dā-
vus, Dēlia Mēdusque sunt familia Rōmāna. Iūlius pater
10 est. Aemilia est mātēr. Iūlius pater Mārcī et Quīntī est.
Iūlius pater Iūliae quoque est. Aemilia est mātēr Mārcī
et Quīntī et Iūliae. Mārcus filius Iūliī est. Mārcus filius
Aemiliae est. Quīntus quoque filius Iūliī et Aemiliae
est. Iūlia est filia Iūliī et Aemiliae.

- 15 Quis est Mārcus? Mārcus puer Rōmānus est. Quis
pater Mārcī est? Iūlius pater Mārcī est. Quae est mātēr



ūnus (I) vir
duo (II) virī

ūnus puer
duo puerī

-que = et —: Mēdus-que
= et Mēdus

Iūlius	∞	Aemilia
pater		mātēr

Mārcus	Quīntus	Iūlia
filius	filius	filia

quis? quae?
quis est Mārcus?
quae est Iūlia?
quis est pater Mārcī?
quae est mātēr Mārcī?

quī?
quī sunt filiī?

Iūlia-que

filiae-que

duo = II (2)

duo duae duo:
duo servī
duae ancillae
duo oppida

cuius? Iūliī, Aemiliae

quot? I, II, III...
quot filiī?
quot filiae?
quot oppida?
centum = C (100)

Mārcī? Māter Mārcī est Aemilia. Quae est Iūlia? Iūlia est puella Rōmāna. Quae māter Iūliae est? Aemilia māter Iūliae est. Pater Iūliae est Iūlius. Iūlia filia Iūliī est. Quī sunt filiī Iūliī? Filiī Iūliī sunt Mārcus et Quīntus. 20 Mārcus, Quīntus Iūliaque sunt trēs liberī. Liberī sunt filiī filiaeque. Mārcus et Quīntus et Iūlia sunt liberī Iūliī et Aemiliae. In familiā Iūliī sunt trēs liberī: duo filiī et ūna filia.

Estne Mēdus filius Iūliī? Mēdus filius Iūliī nōn est, 11 Mēdus est servus Iūliī. Iūlius dominus Mēdi est. Iūlius dominus servī est. Dāvus quoque servus est. Mēdus et Dāvus duo servī sunt. Iūlius est dominus Mēdi et Dāvī. Iūlius dominus servōrum est et pater liberōrum.

Estne Dēlia filia Aemiliae? Dēlia nōn est filia Aemi- 30 liae, Dēlia ancilla Aemiliae est. Aemilia domina Dēliae est. Aemilia domina ancillae est. Syra quoque ancilla est. Dēlia et Syra duae ancillae sunt. Aemilia domina ancillārum est.

Cuius servus est Dāvus? Dāvus servus Iūliī est. Cuius 35 ancilla est Syra? Syra est ancilla Aemiliae.

Quot liberī sunt in familiā? In familiā Iūliī sunt trēs liberī. Quot filiī et quot filiae? Duo filiī et ūna filia. Quot servī sunt in familiā? In familiā sunt centum servī. In familiā Iūliī sunt multī servī, paucī liberī. Iūlius est 40 dominus multōrum servōrum.

‘Duo’ et ‘trēs’ numerī sunt. ‘Centum’ quoque numerus est. Numerus servōrum est centum. Numerus libe-

rōrum est trēs. Centum est magnus numerus. Trēs par-
 45 vus numerus est. Numerus servōrum est magnus. Nu-
 merus liberōrum parvus est. In familiā Iūlii magnus
 numerus servōrum, parvus numerus liberōrum est.

Mēdus servus Graecus est. Dēlia est ancilla Graeca.
 In familiā Iūlii sunt multī servi Graeci multaeque ancil-
 50 lae Graecae. Estne Aemilia fēmina Graeca? Aemilia nōn
 est fēmina Graeca, sed Rōmāna. Iūlius nōn vir Graecus,
 sed Rōmānus est.

Sparta oppidum Graecum est. Sparta, Delphī Tūscu-
 lumque tria oppida sunt: duo oppida Graeca et ūnum
 55 oppidum Rōmānum. In Graeciā et in Italiā magnus nu-
 merus oppidōrum est. In Galliā est magnus numerus
 fluviorum. Fluvii Galliae magni sunt. Māgnine sunt flu-
 vii Āfricae? In Āfricā ūnus fluvius magnus est: Nīlus;
 cēteri fluvii Āfricae parvi sunt. Suntne magnae insulae
 60 Graecae? Crēta et Euboea duae insulae magnae sunt;
 cēterae insulae Graecae sunt parvae. —

III Quis est Cornēlius? Cornēlius dominus Rōmānus est.
 Iūlius et Cornēlius duo dominī Rōmāni sunt. Mēdus
 nōn est servus Cornēlii. Mēdus servus Iūlii est.

65 Cornēlius: "Cuius servus est Mēdus?"

Iūlius: "Mēdus servus meus est."

Cornēlius: "Estne Dāvus servus tuus?"

Iūlius: "Dāvus quoque servus meus est. Servi mei
 sunt Mēdus et Dāvus et cēteri multī..."

70 Cornēlius: "Estne Dēlia ancilla tua?"

magnus numerus servō-
 rum = multī servi
 parvus numerus liberō-
 rum = pauci liberī

multae-que

trēs tria:
 trēs liberī
 trēs litterae
 tria oppida

magnus numerus oppi-
 dōrum = multa oppida
 magnus numerus fluvi-
 ōrum = multī fluvii
 magni-ne


cēteri -ae -a

Cornēlius



meus -a -um

tuus -a -um



ecce duo librī →

ūnus liber
duo librī

novus -a -um ↔
antīquus -a -um



pāgina

Iūlius: "Dēlia est ancilla mea, et Syra quoque ancilla mea est. Ancillae meae sunt Dēlia et Syra et cēterae multae. Familia mea magna est."

Cornēlius: "Quot servī sunt in familiā tuā?"

Iūlius: "In familiā meā sunt centum servī."


75

Cornēlius: "Quid?"


Iūlius: "Numerus servōrum meōrum est centum."

Cornēlius: "Centum servī! Magnus est numerus servōrum tuōrum!"

liber
antīquus



liber
novus



LIBER TVVS LATINVS

80

Ecce duo librī Latīnī: liber antīquus et liber novus.

LINGVA LATINA est prīmus liber tuus Latīnus. Titulus librī tuī est 'LINGVA LATINA'. Liber tuus nōn antīquus, sed novus est.

In LINGVA LATINA sunt multae pāginae et multa capi- 85
tula: capitulum prīmum, secundum, tertium, cētera.
'IMPERIVM ROMANVM' est titulus capitulī prīmī. Titulus
capitulī secundī est 'FAMILIA ROMANA'. In capitulō se-
cundō sunt sex pāginae. In pāginā primā capitulī se-
cundī multa vocābula nova sunt: *vir*, *fēmina*, *puer*, *pu- 90*
ella, *familia*, cētera. Numerus vocābulōrum Latīnōrum
magnus est!

GRAMMATICA LATINA

Masculinum, femininum, neutrum

95 [A] 'Servus' est vocabulum masculinum.

[B] 'Ancilla' est vocabulum femininum.

[C] 'Oppidum' est vocabulum neutrum.

Exempla:

[A] Vocabula masculina: filius, dominus, puer, vir; fluvius,

100 oceanus, numerus, liber, titulus. Masculinum: *-us (-r)*.[B] Vocabula feminina: femina, puella, filia, domina; insula, provincia, littera, familia, pagina. Femininum: *-a*.[C] Vocabula neutra: oppidum, imperium, vocabulum, capitulum, exemplum, pensum. Neutrum: *-um*.105 *Genetivus*

[A] Masculinum:

Iulius dominus *servi* (Davi) est.Iulius dominus *servorum* (Davi et Medii) est.

'Servi' genetivus est. 'Servorum' quoque genetivus est.

110 'Servi' genetivus singularis est. 'Servorum' est genetivus pluralis. Genetivus: singularis *-i*, pluralis *-orum*.

[B] Femininum:

Aemilia domina *ancillae* (Syrae) est.Aemilia domina *ancillarum* (Syrae et Deliae) est.115 'Ancillae' genetivus singularis est. 'Ancillarum' est genetivus pluralis. Genetivus: singularis *-ae*, pluralis *-arum*.

[C] Neutrum:

D est prima littera vocabuli 'dominus'.

Numerus vocabulorum magnus est.

120 'Vocabuli' genetivus singularis est. 'Vocabulorum' est genetivus pluralis. Genetivus: singularis *-i*, pluralis *-orum*.

PENSVM A

Marcus fili- Iulii est. Iulia fili- Iulii est. Iulius est vir Roman-.

Aemilia femina- Roman- est. Iulius domin-, Aemilia domin- est.

Medus serv- Graec- est, Delia est ancill-

masculinum (*m*) < *masculus* = vir
 femininum (*f*) < *femina*
 neutrum (*n*) = non *m*, non *f*

*-us**-a**-um*genetivus (*gen*)

servi
servorum

-i -orum

ancillae
ancillarum

-ae -arum

vocabuli
 vocabulorum

-i -orum

Vocābula nova:

vir
 fēmina
 puer
 puella
 familia
 pater
 māter
 fīlius
 fīlia
 līberī
 servus
 dominus
 ancilla
 domina
 liber
 titulus
 pāgina
 antiquus
 novus
 cēterī
 meus
 tuus
 centum
 duae
 tria
 -que
 quis?
 quae?
 quī?
 cuius?
 quot?
 masculinum
 fēmininum
 neutrum
 genetīvus

Graec-. Sparta oppid- Graec- est.

Iūlius pater Mārc- est. Mārcus est fīlius Iūli- et Aemili-. Mēdus servus Iūli- est: Iūlius est dominus serv-. Iūlius dominus Mēd- et Dāv- est: Iūlius dominus serv- est. Numerus serv- magnus est. Dēlia est ancilla Aemili-: Aemilia domina ancill- est. Aemilia domina Dēli- et Syr- est: Aemilia domina ancill- est. In familiā Iūli- est magnus numerus serv- et ancill-. Aemilia māter Mārc- et Quīnt- et Iūli- est. Mārcus, Quīntus Iūliaque sunt līberī Iūli- et Aemili-. Numerus līber- est trēs. Numerus serv- est centum.

In pāginā primā capitul- secund- multa vocābula nova sunt. Numerus capitul- nōn parvus est.

PENSVM B

Mārcus — Rōmānus est. Iūlius — Rōmānus est. Aemilia est — Rōmāna. Iūlius est — Mārci et Quīnti et Iūliae. In — Iūlii sunt trēs —: duo — et ūna —. — līberōrum est Aemilia.

— est Dāvus? Dāvus est — Iūlii. Iūlius — Dāvī est. — est Syra? Syra — Aemiliae est. Aemilia est — Syrae.

Cornēlius: “— servī sunt in familiā tuā?” Iūlius: “In familiā — sunt — (c) servī.” Cornēlius: “Familia — magna est!”

‘LINGVA LATINA’ est titulus — tuī Latīnī.

PENSVM C

Quis est Quīntus?

Quī sunt Mēdus et Dāvus?

Mārcusne quoque servus Iūlii est?

Cuius filia est Iūlia?

Quot līberī sunt in familiā Iūlii?

Quot servī in familiā sunt?

Num Syra domina est?

Quae est domina ancillārum?

Estne Cornēlius vir Graecus?

Num ‘puella’ vocābulum masculinum est?